



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. VI. Quomodo danda sit absolutio à censura?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

potestas absolvendi à censuris Papæ reservatis : quia is non solet reservare casus, nisi ratione censuræ adjunctæ. Porro absolutio data consueti bona fide in Jubilæo, cum intentione lucrandi illud, etsi postea vel sua negligentia, vel propter aliud impedimentum non lucretur, est valida, tollitque censuram. Secus si ab initio indulgentias lucrari noluerit : eo enim casu probabilis est absolutionem non valere, & tam peccata reservata, quam censuram de novo debere tolli ab eo, qui potest extra Jubilæum.

DUBIUM VI

Quomodo danda sit absolutio à censura?

Resp. Id statuendum esse ex natura tum censuræ, tum cujusvis absolutionis. Ex qua circa absolvendi modum *resolves*.

I. Ex natura rei non requiruntur certa verba, sed sufficiunt ea signa, quibus aperte significetur absolutio impendi. In foro tamen externo communiter servanda est forma cujusque Episcopatus. In foro autem conscientiae hæc fere est in usu : *Ego te absolvo à vinculo, v. g. excommunicationis, suspensionis &c. quam incurristi propter N. N. (talem causam) & si sit excommunicatus) restituo te Sacramento Ecclesie, & communioni fidelium, aut (si sit suspensus) executioni iuramenti ordinum vel officiorum, vel beneficiorum, in nomine Patris &c.* In publica autem ac solemnè absolutione præmittitur Psalmus *Miserere*, & ad

singulos versus pœnitentis humeri denudati leviter percutiuntur (nisi ex justa causa talis cœremonia videatur omittenda, præsertim in fœminis) tam adjectis precibus absolvitur & in Ecclesiam introducitur. Idem modus ferè servatur in absolute mortuorum, nisi quod sepulchrum virgâ percutiatur. v. *Rituale Romanum*.

II. Absolvi à censura potest absens, imò & invitus, etsi hoc communiter non liceat, ne censura contemnatur. Ratio, quia sicut pœna in absentem & invitum potest statui, sic & auferri. *Turr. Dian. p. 5. t. 9. Resolut. 10.*

III. Is, qui pluribus censuris est astrictus, potest absolvi ab una, relictis aliis: quia inter eas non est necessaria connexio. Unde si dicatur, *absolve te ab omni vinculo, &c.* valet pro omnibus; ideoque si sic absolutus in Jubilæo forte omisisset invincibiliter peccatū habens annexam censuram, id est, excommunicationem, posset is postea ab eo peccato per quemvis approbatum absolvi, cum non sit amplius reservatum, eò quod censura; ratione cujus tantum erat reservatum, sit sublata.

IV. Absolutio, vi aut metu gravi, injustè incusso extorta, non valet; imò novam excommunicationem incurrit, qui metum incutit.

V. Absolutio data ab ordinario, non præstita satisfactione, etsi sit illicita, valida tamen est; imò etiam data à delegato, modo non delegetur cum conditione satisfactionis: quæ si impossibilis sit, sufficit præstare cautionem, aut juramentum de satisfaciendo cum poterit.

VI. Dari potest absolutio sub conditione de futuro contingenti ; cum sit actus jurisdictionis externæ, qui conditionatus esse potest. Communiter tamen non expedit sic absolvi: si enim reus absolutionem meretur, non debet apponi conditio, si non meretur, non debet absolvi.

VII. Potest etiam dari absolutio ad reincidentiam, id est, pro certo actu & tempore, quo transacto reincidat : item sub certo onere, quo non impleto, censura reviviscat.

VIII. Probabilius est, eum qui habet potestatem absolvendi in foro conscientie à censura, posse id facere etiam extra confessionem, ut contra Navar. Suar. & alios docet Sanch. l. 8. de matr. d. 16. Con. Dian. &c.

CAPUT II.

De Excommunicatione.

DUBIUM I.

Quid sit, & quotuplex?

Resp. Excommunicatio est censura, per quam quis privatur communiōne Ecclesiæ. Estque duplex: Minor, quæ tantum privat usu passivo, seu receptione Sacramentorum, & Major, quæ etiam dicitur Anathema, ac in jure ferè semper nomine excommunicationis intelligitur, privatque omni communiōne Ecclesiastica, secundum dicenda. Per hanc Majorem excommunicatus, rursus est duplex: Toleratus, quem fi-

deles